

bent, tamen totam curam gerunt pecuniæ unius vel alterius academici studiosi, a parentibus ipsis demandatam, præcipue si studiosus privatissimus fuerit Professoris auditor. Si adeoque in hac re peccavi, peccavi ex ignorantia, hoc non etiam in vestra academia esse solitum.

Altera vero ratio, quam probabilius obtinere credo, in relatione quadam erit quærenda, quam procul dubio Arabiam missus Prof. Forskål vel ejus contubernalis olim, Falck Tibi rescripserunt, de controversia et rixa scilicet quadam acer-rima, quæ inter me et dictum Forskål exeunte anno præce-dente Tui gratia intercessit. Novi malitiosam huius rixæ expositionem, quam Forskål in hac urbe disseminavit, quam adeoque nec Te latere posse, non sine ratione judico. Nihil tamen feci in hac controversia, nisi quod Tu in meo loco constitutus ipse fecisses. En factum! D. Forskål desiderabat, ut ipsi Falkius tamquam socius adjungeretur. Aula regia desiderabat vero aliquem ex danica natione adjungendum. D. Ascanius proponebat Doct. Cramerum, per sex annos meum in Hist. natural. assiduum auditorem, me licet hoc ipsi dissuadente. Forskålius acerrime urgebat suum Falkium, qui tamen apud omnes, quos conveniebat, rusticum agebat. Et fere injuriosus in Regem fiebat Forskålius, postquam omnis spes de Falkio erat sublata & Cramerus receptus. Quoniam Cramerus meus non solum auditor sed & amanuensis fuerat, Forskålius apud omnes, quos conveniebat, aulicos Ministros aliosque sine ulla hæsitatione aperte profitebatur: Kratzensteinium non eum esse virum, qui posset alicui auditorum suorum eam historiæ naturalis cognitionem instillare, ut is inde subjectum aliquod regni naturæ describere vel characterizare queat. Uno verbo, unicum esse Linnæum, qui hoc artificium auditores suos docere queat. Mirum tamen hoc erat judicium, cum is nunquam antea occasionem habuerit vel tantillum cognoscendi, num ego in illa scientia vel magnam vel exiguam cognitionem habuerim. Advenam illum tamquam & amicum & discipulum Tuum summa qua potui amicitia excepi, curam ejus dissertationis polemicæ impri-mendæ partem in me suscepi; apparatus, quem ad expedi-